

receptam, non datur, per se loquendo, propter aliam operationem, sed proxime propter se suumque effectum formalem, remote vero propter præmium vel alios effectus supernaturales, et ideo non habet rationem auxilii, sed cujusdam doni actualis gratiæ; ita enim vocantur hi actus a Patribus, dicentibus tantam esse Dei erga homines bonitatem, ut eorum velit esse merita, quæ sunt dona sua: dixi autem supra *per se loquendo*, quia interdum potest unus actus supernaturalis ac liber, et perfectus multum juvare ad alium efficiendum, et sub eo sine et intentione a Deo dari, ut actus fidei vel orationis juvet ad resistendum Dæmoni, et divinus amor ad implenda divina præcepta: sed hoc est secundarium, et quasi accessorium his actibus, et ideo, stricte loquendo, inter auxilia non computantur, sed ut illi fiant cætera auxilia præstantur.

11. *Secundus terminus est actus vitalis intellectus aut voluntatis non liber, per actionem a se distinctam productus.* — Secundo, potest actio, qua nobis Deus præbet auxilium, terminari proxime ad aliquem actum vitalem intellectus aut voluntatis, non tamen liberum, nec perfecte humanum, sed moventem vel operantem ad eliciendum consensum supernaturalem ac liberum, et hujusmodi auxilium præter actionem Dei includit qualitatem quamdam, quia, ut dixi, terminus intrinsecus illius actionis est actus vitalis: actus autem vitalis in suo esse perfecto qualitas est; et quamvis sub utraque ratione sit verum auxilium, nihilominus in ordine ad actum liberum propter quem datur, immediatius est auxilium, prout est quædam qualitas animam afficiens et excitans, seu dans ei vires ad operandum. Ratio est, quia motio illa, ut est actio divina, proxime juvat potentiam hominis ad eliciendum actum illum indeliberatum, et ibi sistit, ut sic dicam, illud adjutorium quoad suum proximum et per se influxum, et ideo non tam est auxilium per se ad actum virtutis intentum, quam auxilium ad motum vitæ formaliter distinctum, qui ad actum moralem et virtutis proxime juvat; quia vero vitalis qualitas, quæ fit per illam actionem, per seipsam proxime juvat ad ulteriorem actum supernaturalem, ideo etiam ipsa actio potest saltem remote dici auxilium ad ipsum consensum. Hoc ergo genus auxilii in actione et qualitate diversis rationibus consistit. Et quia in re nunquam separantur nec distinguuntur, nisi sicut res et modus, ideo, morali et communi modo loquendo, totum illud unum auxi-

lium reputatur, quod potest dici veluti ex actione et qualitate compositum.

12. *Tertius terminus non vitalis per modum actus primi permanentis in potentia solummodo quamdiu illa operatur.* — Tertio modo potest intelligi Deus aliquid in potentia efficiendo, quod non sit actus secundus seu vitalis, sed tantum aliqua entitas per modum actus primi, non tamen permanentis in potentia non operante, sed durantis solum quamdiu potentia operatur, ut in hoc ab omni qualitate, quæ per modum habitus nobis infunditur, distinguatur. Et hoc genus auxilii ponunt aliqui moderni Theologi, et vocant illud actuale, non quia sit actus vitæ, sed quia est quasi transiens, ut ita distinguant illud ab habituali auxilio. Et conveniunt omnes esse motionem seu actionem Dei. Est autem magna controversia inter eos, an sit qualitas necne; quidam enim eorum dicunt esse puram motionem, alii vero addunt etiam esse qualitatem quamdam, ad quam illa motio vel actio intrinsece terminatur. Ego vero nullum tale auxilium internum, potentiisque animæ inhærens, præter actus vitales et actiones eorum, nec alias qualitates per se infusas agnosco, nisi vel habitus, vel supernaturales actus vitales, quod in sequentibus late tractandum est in variis locis et evasionibus. Posita vero illa sententia, multo probabilius est tale auxilium proxime consistere in qualitate, licet præcedat actio vel motio Dei, per quam talem actum infundit, ut in discursu hujus libri ostendam.

13. *Nunquam infunditur motio sine qualitate, quæ sit etiam auxilium, vel terminus auxilii.* — Mens D. Thomæ supra num. 8. — Sic ergo satis probata relinquitur assertio, simulque declaratum est quando actualia auxilia non solum actiones esse possunt, sed etiam qualitates, imo nunquam esse posse actiones vel motiones, quin per ea infundatur aliqua qualitas, quæ sit etiam auxilium, vel ultimus actus, et terminus auxilii. Neque existimo divum Thomam in sensu contrario huic doctrinæ locutum esse; ille enim de solis auxiliis non tractat, sed simpliciter de gratia; et quando dixit actualem gratiam non esse qualitatem, non loquitur de auxilio gratiæ, nec de actione, ut actio est, sed gratuito effectui, hoc est, de ipsomet actu vitali, ut est quidam motus animi perfectus, de quo negari non potest quin sit in re ipsa vera qualitas. Solum ergo, ad distinguendum illud actuale donum ab habituali, dixit divus Thomas non esse qualita-

CAPUT II.

UTRUM AUXILIUM EXCITANS SIT PRIMUM IN ORDINE GRATIÆ SANCTIFICANTIS ADULTORUM.

1. *Suppositio prima.* — *Hæc auxilia pertinent ad solos adultos.* — *Suppositio secunda.* — *Datur aliquod auxilium quod a scriptoribus vocatio, locutio, excitatio dicitur.* — Supponimus interna auxilia gratiæ propria esse adultorum et ratione utentium, quia in operatione rationali aliquo modo consistunt, et ad actus liberos efficiendos conferuntur; ideoque infantes, sicut ad libere operandum, ratione utendum, apti non sunt, ita neque auxiliorum gratiæ sunt capaces; et ideo in hoc, et ductus sequentibus libris, etiamsi interdum simpliciter de sanctificatione loquamur, de sola sanctificatione adultorum semper intelligimus, quod semel admonuisse sufficet. Supponimus deinde dari unum ex auxiliis sub illa generali voce, videlicet, sub sanctificatione, quod continetur sub nomine vocationis, locis in proœmio hujus libri allegatis, et Rom. 8, Marc. 2, et alibi sæpe, et sub nomine pulsus, Apocalyp. tertio, et sub nomine locutionis ad cor, Ose. secundo, et vox ipsa excitationis satis insinuat Dan. 13, ibi: *Suscitavit Dominus spiritum Danielis pueri.* Perinde enim dictum est, ac si diceretur *excitavit*, et ita etiam dixit Petrus, Epist. 2, cap. 3: *Vestram excito in commotione sinceram mentem.* Et Ecclesia frequenter publice orat: *Excita, Domine, corda nostra; excita, Domine, tuorum fidelium voluntates, etc.*, et ex Conciliis et Patribus plura statim afferemus. Ratio autem potissime petenda est ex fragilitate liberi arbitrii ad opera virtutis et pietatis, nam inde oritur necessitas hujus auxilii, quæ magis in sequentibus declarabitur.

2. *Suppositio tertia.* — *Sanctificatio adulti plurimum actuum successionem includit.* — *Status questionis.* — Tertio, supponimus sanctificationem hominis adulti, ut complectitur non solum formæ sanctificantis infusionem, sed dispositiones etiam quæ ad illam præcedunt, non uno momento, nec uno actu, sed plurimum successionem fieri; et ideo, priusquam quid sit hoc auxilium declarem, necessarium judicamus exponere an, via generationis, justificationis initium ab hac gratia sumatur. Quod simili fere modo quæri potest de quolibet opere pietatis, quod est primum in aliquo tempore vel serie operationum, quando videlicet homo

tem, imitatus Aristotelem, lib. 40 Ethicor., cap. 3, dicentem operationem virtutis et felicitatem non esse qualitatem; intelligit enim non esse qualitatem puram, et ab actuali et vitali efficientia hominis independentem, et ideo isti actus, ne putarentur esse qualitates mere passibiles seu receptibiles in subiectis, nomen operationum seu actuum retinuerunt, quia ad suos formales effectus actualem influxum vitæ requirunt. In hoc ergo sensu D. Thomas, ut actum ab habitibus gratiæ distingueret, dixit actus non esse qualitates, quia in actuali motu consistunt, sine quo possunt habitus permanere.

14. *Assertio quinta.* — *Auxilium gratiæ multiplex est.* — Ultimo, dicendum est auxilium gratiæ non unum tantum, sed multiplex esse. Hanc assertionem perfunctorie attigimus in Prolegomeno primo, voces diversorum auxiliorum explicando: in discursu autem hujus libri res per illas significatas explicaturi sumus, ad unam vel duas divisiones illas vocando. Potest enim auxilium gratiæ primo dividi in auxilium in intellectu vel in voluntate receptum, quæ divisio, generatim sumpta, nulla indiget expositione, nam unum in actibus vel motionibus in voluntate receptis, aliud in illustratione intellectus consistit. Secundo, dividi potest utrumque auxilium in supernaturale quoad substantiam, vel quoad modum, quam divisionem in dicto Prolegom. 1 sufficienter pro loci opportunitate declaravi. Et ex dictis in duobus libris præcedentibus, ex parte effectuum seu terminorum, amplius explicata est, nam auxilium in substantia supernaturale ad actus in se supernaturales necessarium est; illud vero quod datur ad actus ordinis naturalis, solum quoad modum supernaturale requiritur. Quomodo autem in seipsis hæc auxilia distinguantur, in capite hujus libri dicetur. Tertio, dividitur auxilium gratiæ in excitans et adjuvans, ad quæ membra revocamus illa similia quæ a Patribus traduntur, nimirum auxilii operantis et cooperantis, prævenientis, comitantis et subsequenti, ac denique illud quod specialiter dicitur dari per modum conversus, de quibus omnibus eo ordine quo proposita sunt, in discursu hujus libri dicturi sumus. Quarto, dividitur auxilium gratiæ in sufficiens et efficax, quæ membra in duobus libris sequentibus declarabimus.

prius de illo nihil cogitabat, et postea illud operatur; nam illa etiam mutatio non in momento fit, nec sine successione plurium actuum internorum, et ideo ibi etiam quæri potest an gratiæ auxiliium, quod ad tale opus datur, ab excitante incipiat.

3. *Ratio dubitandi: gratia excitans est actus vitalis.*—*Gratiam primam auxiliantem fieri in nobis a solo Deo ostenditur testimoniis.*—Ratio dubitandi esse potest, quia gratia excitans in aliquo vitali actu consistit; sed prima gratia auxilians non potest esse actus vitalis: ergo gratia excitans non potest esse prima gratia auxilians. Major supponitur, tum ex communi sententia, tum ex vi vocis; nam excitatio interna non fit sine hominis attentione et vigilia, et hæc non fit sine actu vitæ. Minor probatur primo, quia gratia prima auxilians debet fieri in nobis a solo Deo: actus autem vitalis non fit in nobis a solo Deo, ut supponimus: ergo actus vitalis non est prima gratia auxilians. Consequentia est clara, et major testimoniis et rationibus ostendi potest. Primum testimonium sit illud Psalm. 120: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum et terram*, quod additum videtur, ut intelligamus, sicut solus Deus fecit cælum et terram, ita a solo Deo esse nostrum auxiliium, non a nobis, et ideo etiam non dixit: *A Domino et a me*, quia solus Deus confert tale auxiliium. Secundo, ex illo Apocal. tertio: *Ecce sto ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam*, etc. Ubi duo distinguuntur: unum est pulsare, quod est solius Dei; aliud est audire, quod est etiam ab homine: homo autem non excitatur donec audiat; ergo antequam excitetur, excipit etiam gratiam prævenientem, qua pulsatur: ergo datur gratia præveniens prior excitante. Tertio, probatur ex Concilio Arausicano secundo, can. 20, dicente: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo*; quod maxime dictum est a Concilio propter gratiam primam prævenientem, qua homo a Deo movetur, ut contra Semipelagianos doceat illam primam gratiam, quæ est initium salutis, non pendere a natura, sed a solo Deo. Ergo illud primum auxiliium, ex mente Concilii, nullo modo fit ab homine, ac proinde non est actus vitalis, nec gratia excitans.

4. *Ratione confirmatur.*—Præterea potest rationibus confirmari. Prima, quia motus gratiæ excitantis est in se supernaturalis, ut infra ostendemus: ergo non potest fieri a potentia naturali animæ, nisi constituta, saltem primo natura, per aliquod principium supernaturale illi intrinsicum et inherens, ut per illud in

actu primo constituatur. Ergo primum donum gratiæ actualis est infusio illius principii gratuiti, quo intellectus vel voluntas constituitur in actu primo ad efficiendum actum vitalem supernaturalem, etiam non liberum, et ita solus Deus efficit in nobis primam gratiam, sine nobis active, sed tantum passive, concurrentibus. Posterior illatio data est. Prior autem probatur. Primo, quia actus secundus supponit essentialiter actum primum; ergo non potest naturalis potentia efficere actum supernaturalem quoad substantiam, nisi prius constituatur in actu primo, etiam supernaturali. Secundo, quia in actu vitali supernaturali, etiam ipsa vitalitas est supernaturalis: ergo debet esse a principio intrinseco supernaturali; ergo ante actum vitalem supernaturalem debet supponi illa prior gratia, quæ non sit actus vitalis. Tertio, quia alias primum initium nostræ salutis non esset reducendum in ipsum Deum solum, sed in Deum et naturam, quod nullus Theologus concedet; quia videtur ad Semipelagianismum accedere. Sequela probatur, quia actus vitalis excitantis gratiæ non pendet a solo Deo, sed etiam ex potentia nostra, ut quædam natura est, necessitate quadam naturali influens in tales actus. Quarto, quia gratia præveniens qua Deus nos movet ad hos actus gratiæ excitantis, non est influxus immediatus in ipsos actus; ergo ille influxus non est ab ipsis potentiis, nam ipsæ non efficiunt in se aliquid prævium ad actus. Ergo ille influxus non est actus vitalis, sed prius ipso. Antecedens probatur, quia si Deus solum influeret in actum cogitationis, verbi gratia, gratiæ excitantis, talis cognitio esset ex sola facultate naturæ cum concursu Dei, contra illud Pauli, secunda Corinth., tertio: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

5. *Assertio.*—*Gratia excitans est primum donum homini collatum in ordine ad ejus sanctificationem.*—*Prima gratia exterior est excitans.*—*Prima etiam interior.*—*Probatur ex Conciliis.*—Nihilominus dicendum est primum donum gratiæ, quod Deus homini confert, in ordine ad ejus sanctificationem, esse aliquam gratiam excitantem. Hæc assertio est communis Theologorum, qui de his gratiis clarius et expressius scripserunt, quos in sequentibus referam, quamvis illam non tam disputare quam supponere videantur, et quamvis in assertione de interna gratia loquamur, possumus ejus probationem ab externa in-

choare, quia in adultis prima gratia exterior necessario esse debet, etiam exterius excitans, utique per verbum Dei, juxta Paulum ad Rom. decimo dicentem: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Est enim fides humanæ salutis initium ac fundamentum, et radix totius justificationis, ut dixit Concilium Tridentinum, sessione sexta, capite octavo; initium autem fidei externum est prædicatio Verbi Dei, quæ mentem excitat. Ergo prima gratia exterior ad justificationem pertinens gratia excitans est. Idem autem non minus certum est de interna gratia, quod probatur primo ex Concilio Tridentino, supra, capite 3 dicente: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione.* Manifestum autem est vocationem esse gratiam excitantem, ut idem Concilium paulo post declarat, dicens, *ut per ejus excitantem gratiam*, et in doctrina Augustini est manifestum, ut postea declarabimus. Potestque declarari ex vocatione sensibili, nam illa nihil aliud est quam quædam excitatio, quæ per sensum usque ad mentem pervenit; ergo etiam interna vocatio Spiritus Sancti nihil aliud est quam excitatio ab eodem Spiritu Sancto menti indita. Præterea, idem Concilium, in capite sexto, describit totam seriem gratiarum et motionum Spiritus Sancti, quæ in justificatione intervenire solent ab exordio ejus usque ad finem, et tamen caput illud sic inchoat: *Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia, etc.*; ergo excitantem gratiam ponit tanquam primam, et tanquam totius justificationis initium. Secundo, argumentari possumus in hunc modum, quia illuminatio seu inspiratio Spiritus Sancti gratia excitans est: sed prima gratia, quæ hominibus adultis datur, ad inchoandum in eis sanctificationem, est inspiratio et illuminatio; ergo gratia inchoans justificationem est gratia excitans. Consequentia est clara, et major est certa, probabiturque in capite sequenti. Minor autem probatur aperte ex Concilio Tridentino in loco citato, nam cum dixisset exordium justificationis esse a vocatione, quæ per excitantem gratiam fit, subjungit: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, etc.*, ubi aperte declarat tactum cordis fieri per Spiritus Sancti illuminationem, et ita tacite exponit illud Apocal. tertio: *Ego sto ad ostium, et pulso*; nam idem est tangere ac pul-

sare cor, et revera idem est excitare illud. Atque ita ex illo loco optime probatur tam assertio, quam dicta minor propositio: jam primus actus, seu pulsatio cordis a Spiritu Sancto facta, est prima gratia ejus in hoc genere; sed hic tactus fit per illuminationem et inspirationem ejusdem Spiritus Sancti. Ergo illuminatio, sive inspiratio Spiritus Sancti est prima gratia auxilians, ac proinde excitans gratia similiter est prima. Et confirmatur hæc ratio, tam ex dicto Concilio Tridentino quam ex Arausicano. Hæc enim Concilia, ut docerent gratiam absolute loquendo, non dari ex meritis, reducerunt totam gratiarum seriem ad primam, ut eam ante omne meritum ostenderent. Sed in hac reductione semper sistunt in divina excitatione per Spiritus Sancti inspirationem; sentiunt ergo primam gratiam auxiliantem esse excitantem. Consequentia clara est: de majori autem postea late dicturi sumus, nunc illam supponimus. Minor autem satis probatur ex Concilio Tridentino ex locis citatis, et canon. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, etc.*, et canon. 4: *Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum.* In quibus locis semper in divina inspiratione et excitatione tanquam in prima gratia sistit. Et Concilium Arausicanum, cap. 5, inde docet initium fidei non esse ex nobis, quia affectus credendi per gratiæ donum fit in nobis; et explicat Concilium, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, utique per primum gratiæ auxiliium. Et similiter in can. 6 contra Semipelagianos, definit gratiam Dei non dari credentibus, volentibus, desiderantibus, sed potius, *ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri.* Et similem doctrinam habet in canone 8 et aliis, semperque ultimam gratiæ resolutionem ac divinam inspirationem facit.

6. *Probatur ex Patribus.*—Et juxta doctrinam hanc dixit Bernardus, libro de Gratia et libero arbitrio: *Conatus nostri cassi sunt, si non adjuventur, nulli si non excitentur*; et ibi sistit tanquam in primo initio. Similiter D. Prosper, 2 de vocatione Gentium, cap. 26: *Gratia*, inquit, *Dei in omni justificatione principaliter præminet, suadendo, illuminando*; et subjungit: *Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidis, ut divino in se cooperetur operari.* Etiam plane docet initium gratiæ ab excitante sumi. Omnes denique doctrinam hanc

ex Augustino sumpserunt, qui in libris contra Pelagium et reliquias ejus illam tradidit, præsertimque hanc gratiam explicat lib. 1 ad Simplicianum, quæst. 2, et lib. 83 Quæstionum, quæst. 68, et toto libro de Gratia Christi; et lib. 2 de Peccat., ubi capite 18 dicit hominem converti ad Deum, nisi ipso excitante et adjuvante, non posse; et ubi ponit excitantem gratiam ut primam, et per illam dicit agi hominem a Spiritu Sancto, juxta illud ad Rom. 8: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, quod exponens serm. 13 de verb. Apostol.: Aguntur, inquit, Spiritu illuminante, excitante et adjuvante, ut filii Dei fiant.*

7. *Ratione stabilitur assertio.* — Ratione declaratur hæc veritas, quia si comparemus gratiam actualem ad habitualement in adultis, prior ordine generationis est actualis, et nunc supponimus, quia habitualis non infunditur sine hominis dispositione, quæ dispositio per actus hominis fit; dispositio autem præcedit formam, vel ordine naturæ si sit proxima, vel temporis si sit remota, sicut regulariter et secundum communem legem in justificatione hominis fit; procedit enim ab imperfecto ad perfectum, et ideo dispositiones remotæ præcedunt etiam tempore habitualement gratiam. Ante dispositionem autem remotam, quæ in aliquo actu libero semper consistit, præcedere debet aliquod gratiæ auxilium, ut ita opus a Deo solo incipiat; ergo tale auxilium non est nisi excitans. Probatur hæc consequentia, quia auxilium adjuvans proprie sumptum, ut distinguitur ab excitante, non præcedit cooperationem liberam voluntatis ordine temporis, nec causalitatis, ut in sequentibus ostendemus; auxilium autem excitans utroque modo antecedit consensum liberum; ergo ab illo incipit motio divina in ordine gratiæ; ergo illa est prima gratia. Secundo, hoc ipsum declaratur, quia interna gratia excitans solum esse potest in intellectu aut voluntate, nam si quæ possunt esse in affectu sensitivo, nunc non considerantur, sed quasi externæ reputantur. Aut ergo loquimur de prima gratia simpliciter respectu totius mentis (ut sic dicam), vel de prima gratia respectu singularum potentiarum. Priori modo manifestum est primam gratiam actualem in intellectu recipi debere, quia est prior potentia, neque potest voluntas moveri nisi medio intellectu. Deinde in ipso intellectu, ut operari possit in aliquo ordine, necesse est ut præcedat aliqua excitatio, quia non potest judicare nisi apprehendat, nec potest apprehendere nisi ab alio motus, quia de se est in po-

tentia, quæ non potest se reducere in actum, nisi ab alio excitatus et adjutus, qui ordo etiam in naturalibus actionibus servatur. Ergo multo magis in supernaturalibus, ut intellectus possit ad propriam operationem supernaturalem elevari, necesse est ut supernaturalis excitatio in illo antecedat. Illa ergo est prima gratia respectu intellectus, et consequenter etiam respectu totius mentis, seu partis rationalis. Atque hoc modo Augustinus, libro de Prædestinatione Sanctorum, in principio, revocat totam gratiarum seriem ad sanctam cogitationem, quæ non potest esse a nobis, sed ex Deo, juxta illud Apostoli, 2 ad Corinth. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid* (utique ad salutem pertinens) *a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et eandem doctrinam habet libro de Bono persever., cap. 19, et lib. 2 contra 2 Epistolas Pelagianor., cap. 8, et alibi frequenter, præsertim in dicta quæst. 2 ad Simplician. Ex hac igitur parte, sanctæ cogitationis excitatio prima gratia est; nam ante primam cogitationem est homo quasi dormiens, per cogitationem autem excitatur: respectu autem voluntatis, illamet excitatio intellectus dici potest prima etiam gratia voluntatis, quia licet subjective sit in intellectu, de se voluntatem allicit et attrahit. Tamen hæc non est prima gratia intrinseca, seu inhærens ipsi voluntati, et ideo in ipsamet voluntate distinguendus est tactus seu motus Spiritus Sancti a libero consensu, quæ duo, in dicto loco Apocalypsis 3, per verba pulsandi et aperiendi declarantur; prius autem est pulsare quam aperire; ergo et tactus cordis prior est quam liber consensus; ergo gratia excitans, per quam ille tactus fit, est prima inter gratias voluntatis. Quam vero sit necessaria hæc gratia et quod sit munus ejus, postea videbimus. Ad rationes dubitandi in principio positas, in sequenti capite commodius respondebimus; duas enim quæstiones postulant quas ibi tractabimus.

CAPUT III.

UTRUM GRATIA EXCITANS SIT ACTUS VITALIS HOMINIS.

1. *Prima opinio docet primam gratiam excitantem non esse actum vitalem, sed principium ejus.* — Duas opiniones ad hoc punctum pertinentes invenio, quæ in uno principio conveniunt, in assertionibus autem multum differunt. Prima opinio dicit primam gratiam

excitantem non esse actum vitalem, sed quamdam priorem gratiam, quæ sit principium actus vitalis. Fundamenta hujus opinionis sunt duo, tacta in rationibus positae capite præcedenti in principio. Primum est, quia prima gratia præveniens debet fieri a solo Deo, in nobis, id est, non concurrentibus, nec moraliter nec physice illam efficiendo; ergo non potest esse actus vitalis. Secundum est, quia actus vitalis, qui est per se actus gratiæ, est actus supernaturalis; ergo ut a nobis fiat, necessario supponit aliam gratiam, quæ det nobis vires ad efficiendum talem actum, quia non potest fieri per solas vires naturæ; ergo prima gratia excitans non potest esse actus vitalis. Non negat autem hæc opinio quin aliæ excitantes gratiæ, quæ post primam sequuntur, possint esse actus vitales, vel necessarii, vel interdum etiam liberi.

2. *Opinio secunda, gratiam excitantem esse actum vitalem quidem, sed qui fit a solo Deo.* — Altera opinio est gratiam excitantem, etiam primam, esse actum vitalem, et nihilominus non fieri a nobis effective, sed a solo Deo. Prioris partis fundamenta postea videbimus: posterior autem fundatur in illo principio, in quo hæc sententia convenit cum præcedenti, quod Deus has prævenientes gratias facit in nobis sine nobis; nam ex illo colligit hæc opinio talem gratiam, etiamsi actus vitalis sit, non fieri a nobis. Antecedens probatur testimonio Concilii Arausiacani supra adducto, multa esse in homine bona, quæ non facit homo, quod præcipue dictum videtur propter gratias excitantes, ut ex Augustino, a quo sumpta illa sententia, intelligi potest, libro 2 contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 8. Et sic etiam Bernardus, libr. de Grat. et libero arbit., circa finem, dicit *Deum solum operari in nobis exordium salutis, non per nos, neque nobiscum.* Et ibidem adjungit gratiam excitare liberum arbitrium, dum seminat cogitatum. Et eodem modo loquitur Anselmus, circa id, 2 ad Cor. 13: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* *Superna* (inquit) *pietas aliquid agit in nobis sine nobis, ut subsequente libero arbitrio bonum quod appetimus agat nobiscum.* Et eodem modo loquitur Gregor., cap. 10, alias 11. Consequentia vero probatur, quia non repugnat cogitationem aut motum vitalem fieri a Deo in nobis sine nobis physice etiam concurrentibus; ergo ita exponendæ sunt dictæ locutiones Patrum, ut cum omni proprietate intelligantur.

3. *Assertio prima pro vera sententia: gratia excitans prima est actus vitalis intellectus aut*

voluntatis. — *Firmatur auctoritate.* — Nihilominus communis et vera sententia duabus assertionibus continetur. Prior est, gratiam excitantem, etiam primam, esse actum vitalem intellectus vel voluntatis; ita sentiunt omnes auctores infra referendi, et probatur ex dictis in præcedenti capite, ubi ostensum est primam gratiam esse excitantem, eamque in illuminatione et inspiratione consistere. At illuminatio et inspiratio actus vitales sunt, ut est per se notum; ergo prima gratia excitans actus vitalis est. Simile argumentum est, quod ex vocatione et initio justificationis sumitur: nam vocatio est justificationis initium, ac subinde prima gratia excitans; sed vocatio Dei interna, ut in nobis fit et recipitur, non est sine aliqua actione vitali, imo in illa consistit; ergo prima etiam gratia excitans vitalis actio est. Major satis probata est supra ex verbis Concilii Trident., sess. 6, cap. 5: *Declarat justificationis exordium in adultis, et ab ejus vocatione esse sumendum, quam vocationem statim explicat per gratiam excitantem.* Idemque tradit Augustinus citatis locis, ideoque in dicto libro 83 Quæstionum, quæst. 68, dixit: *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit, quia nimirum a vocatione sumitur initium.* Minor item propositio ex eisdem locis probatur; nam vocatio Dei interna nihil aliud est quam illustratio quædam mentis et inspiratio qua Spiritus Sanctus potentias nostras ad bene operandum erigit et inflammat; ut idem Concilium significavit, dicens Deum, vocando hominem, tangere cor ejus per Spiritus Sancti illuminationem, quam statim etiam inspirationem vocat. Et eodem modo loquitur Augustinus, qui etiam sæpe hanc vocationem explicat per sanctam cogitationem, vel sanctum desiderium, seu boni cupiditatem, ut loquitur libro 2 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 8, vel per illuminationem intellectus, vel voluntatis delectationem aut suavitatem, ut libro 2 de Peccat. merit., cap. 17. Hæc autem omnia in vitalibus actibus consistunt, ut per se patet. Ergo prima gratia excitans, actus vitalis est.

4. *Ratione roboratur.* — Denique potest ratione ita declarari, quia divina vocatio interior a locutione Dei in nobis non est nisi aliqua cogitatio vel conceptus mentis nobis a Deo immisus, quia, licet locutio sit a Deo loquente, ut percipiatur a creatura, in illa recipi debet, ut recte docuit Gregor., lib. 2 Moral., cap. 4, alias 5, ubi ait *loqui Deum ad Angelos, eo ipso quod eorum cordibus occulta sua invisibilia*